



**Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1613**

Amplissimo Praesvli D. Adriano Stalpartio, Celeberrimi Tvngerloensis  
Cœnobij Abbati meritißimo, Ordinis Praemonstratensis illustrandi longè  
studiosißimo, Omnium disciplinarum fautori, ac Mecænati ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](#)

AMPLISSIMO PRAESVLI  
**D. ADRIANO**  
STALPARTIO,

*Celeberrimi TUNGERLOENSIS  
Cenobij ABBATI meritissimo,*

*Ordinis PRAEMONSTRATENSIS il-  
lustrandi longè studiosissimo,*

*Omnium disciplinarum fautori, ac Me-  
canati eximio.*

 **F**LA VIVS Vopiscus narrat Iunium Tiberianum, virum illustrem, urbiique Praefectum, cum Aurelianis Imper. vitam à Latinorum nemine litteris adhuc consignatam audisset, grauirer ingemuisse, iustaque animi indignatione commotum, vocem hanc emisisse: *Ergo Thersiten, Simonem, ceteraque illa prodigia vetustatis, & nos bene scimus, & posteri fre-*

EPISTOLA

quentabunt: Diuum Aurelianum,  
clarissimum Principem, seuerissimum  
Imperatorem, per quem totus Romano  
nomini orbis est restitutus, posteri ne-  
scient? Praeclara sanè vox, & no-  
strum in usum iure meritissimo  
transferenda. Scimus & legimus  
nos homines Christiani Alexandrū  
M. Iulium Cæsarem, Augustum,  
Tiberium, Aurelianum, aliosque  
Imperatores ac Principes cùm vete-  
rum tūm néotericorum scriptis ce-  
lebratos. Hos igitur sciemos & ad-  
mirabimur, eosdemque posteri fre-  
quentabunt & legēt; clarissimos ve-  
rō æternæ gloriæ Principes, sanctissi-  
mos ad immortalem vitam duces at-  
que antefignanos, summos veræ re-  
ligionis, morumque probatissimo-  
rum magistros, per quos orbis flu-  
ctuans Romanæ fidei ac pietati est  
restitutus, nos nesciemus, aut poste-  
ri ignorabunt? Deus hanc auertet  
amentiam, aiebat idem Tiberia-  
nus.

Atque

## DEDICATORIA.

Atque ista quidem cogitatio, annis superioribus, ut de Augustinianæ, Benedictinæ, Carthusianæ, Carmelitanæ, aliarumque piarum familiarum fundatoribus nonnulla typis publicarem, me excitauit: nunc etiam exstimulat, ut sanctum NORBERTVM, Præmonstratensis Ordinis conditorem, eiusque socios & affecas, HVGONEM Cameracensem, Beatum EVERMODVM Episcopum Raseburgensem, Beatum MILONEM Morinensem, Beatum ALBERONEM Virundensem, B. IFFRIDVM Raseburgensem, B. GODEFRIDVM Comitem Cappenbergensem, beatos item Abbates, GAREMBERTVM, RAINERVM, GILBERTVM, RADVLFVM, FREDERICVM, SIARDVM, & alios, quibus iniuria temporum pœnè tenebras offuderat, testimonijs ex mediæ ætatis historia petitis, conatus sim velut in lucem reuocare. Quod ut facerem, beneficia ab

*Vide pag. 17.*

- |      |  |
|------|--|
| 76.  |  |
| 144. |  |
| 123. |  |
| 127. |  |
| 160. |  |
| 26.  |  |
| 83.  |  |
| 167. |  |
| 164. |  |
| 144. |  |
| 172. |  |

EPISTOLA

ipso Beato NORBERTO Ecclesiae & vrbi nostræ Antwerpianæ iam olim collata me impulerunt.

Sacramentaria atque Adamitica TANCHELINI hæresis per Brabantiam, Flandriam, Zelandiam, maximeque in vrbe & agro nostro Antuerpiano id temporis sæuiebat. Hanc validè cùm per se tūm per suos repressit NORBERTVS, à nostro Canonicorum collegio, piè prudenterque in subsidiū euocatus. Siue, vt publicarum litterarum ab HILDOLFO Preposito olim nostro, salutis anno M. C. XXI V. datarum, verbis vtar; Cùm in diebus illis quidam hæreticus, Tanchelinus nomine, in partes nostras aduenisset, & venenoſo sermone à fide & à Sacramentis Ecclesiae plurimos auertisset; hac de causa, vt illa hæresis, quæ prouinciam nostram occupauerat, funditus extingueretur, consilio Domini BVRCHARDI Episcopi Cameracensis, & totius populi, & as-

sensu

1124.

## DEDICATORIA.

sensu Capituli nostri, Dominum NORBERTVM, virum istis temporibus spectabilis religionis, accersiri curauimus. Itaque ut Simoni olim Mago Simonem Petrum Apostolorum Principem, Ario Athanasium, Nestorio Cyriillum, Iouiniano, Vigilantio, Eluidio Hieronymum, Pelagio & Mani Augustinum; sic Tanchelino NORBERTVM Devs Opt. Max. opposuit. Hoc nimirum diuinæ bonitatis est proprium, hæc altissima diuini consilij ratio, vt cùm maximè ab hæresiarchis Ecclesia orthodoxa oppugnatur, fortissimos Devs tunc excitet defensores. Notant veteres historici, quo die Pelagius in Britannia, publico damno, natus est; eodem ipso die clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinum summo Reipub. Christianæ commodo, in Africa emicuisse. Cùm Albigenses in Gallia bellum Ecclesiæ mouerent, sanctus Dominicus ex Hispania Tolosam venit, atque illorum

## EPISTOLA

causam fortiter iugulauit. Oportu-  
nè ijsdem temporibus adfuere &  
sodales Minores, à sancto F R A N-  
C I S C O in auxilium missi. Sic & pa-  
trum memoria, cùm Lutherus &  
Caluinus priscorum sæculorum hæ-  
reses ab inferis reuocare cœpissent,  
beatus I G N A T I V S L O R O L A,  
velut cœlo lapsus, religiosissimam  
Societatem I E S V excitauit, eam-  
que impijs hostium conatibus at-  
que insultibus, instar muri ac pro-  
pugnaculi, pro domo DEI obie-  
cit.

I T A Q V E & N O R B E R T V S  
orbi diuinitus olim datus est, vt  
pullulantem T A N C H E L I N I hæ-  
resin velut in herba apud Belgas  
opprimeret; deinde vt religionem  
Christianam apud Saxones, Mora-  
uos, Liuones, aliosque Septentrio-  
nales populos per se ac suos quàm  
latissimè propagaret; ac demum vt  
schisma inter Innocentium I I. &  
Petrum Leonem id temporis ex-

ortum

## DEDICATORIA.

ortum tolleret. Qua de causa  
Herbipolim primūm in Germaniam, deinde Remos in Galliam  
se contulit, ac demum in Italiam  
vnācum Lothario Imperatore san-  
cto Bernardo Abate Clarevallen-  
si, alijsque sacri ac politici ordinis  
Proceribus transiens, Innocentium  
II. Pontif. Max. Romam usque  
deduxit, atque in sede Apostoli-  
ca, pulso Petro Leone Antipapa,  
collocauit.

Sed he his fusiūs in **C H R O N I-**  
**C O** **N O S T R O** **P R A E M O N S T R A-**  
**T E N S I;** quod Tibi **P R A E S V L**  
amplissimè, dico ac consecro: pri-  
mūm quidem, quia tuo singulari be-  
neficio atque eximia liberalitate,  
quod haetenus latuerat, in lucem  
adspicuumque nunc prodit. Deinde  
quia illius instituti historiā tractat,  
cuius Tu cœnobium totâ Europâ  
pulcherrimum, ornatissimum, at-  
que amplissimum, summa laude  
moderaris. Laetemus igitur nos Bra-

## EPISTOLA

banti.. Religiosorum copia, vitæ  
morumque disciplina, templi orna-  
tu, ædificiorum structura, peristylio-  
rum amplitudine, bibliothecæ ma-  
gnitudine, librorum varietate, sta-  
tuarum atque tabularum pictarum  
præstantia, vniuersa denique ele-  
gātia, nō est Abbatia quæ TUNGER-  
LOENSEM tuam superet, imò æ-  
quet. Fateor quidem, singula si spe-  
ctentur, quasdam excedere: sed om-  
nia si quis iunctim exploret, in ean-  
dem mecum sententiam ibit, idem  
ante me iudicium ac suffragium in  
*Originibus suis Antuerpianis* dedit  
magnus ille *Ioannes Goropius Becan-*  
*nus*, sœculi nostri Varro iure optimo  
nuncupatus.

Taceo singularem prædecessorum  
tuorum munificentiam ac pieta-  
tem, quoqum è numero **IOANNES**  
**SICHEMVS**, Distemij, quod Bra-  
bantiae est oppidum, Canonicorum  
Collegiū suo ære fūdauit ac dotauit.  
*Ioannes VVesterhouius Pater pauperū*

est

## DEDICATORIA.

est dictus: *Antonius* verò *Tsgrotenus* *Obiit Anno  
1529.*  
non modò Louanij, Coloniæ, Aure-  
lianii, & Biturigis suos in studijs li-  
beraliter aluit, sed & Nicolai V. Si-  
xti IV. aliorumque Romanorum  
Pontificum laudatissimorum exem-  
pto, bibliothecam instituit, aula am-  
plissima, vestibulo, pulpitis, scalis ac  
porticibus à fundamentis regio sum-  
ptu extructis. Ut vestra T V N G E R L O-  
E N S I S bibliotheca, si structuram  
spectes, cum Vaticana, qua nulla  
hodie in orbe Christiano amplior  
censemur, meritò comparari posse  
videatur.

P E R G E igitur, P R A E S V L  
admodum Reuerende, tuorum  
maiorum exemplo, studia ac lit-  
teratos fouere, & pijs nostris de or-  
dine vestro N O R B E R T I N O illu-  
strando conatibus fauere. Ego vicis-  
sim operam dabo, ut S T A L P A R-  
T I A N V M nomēn grata omnis po-  
steritas colat, & vestra imprimis mu-

nificen-

EPIST. DEDICAT.

nificantia Ordinem Præmonstra-  
tensem longè illustriorem reddi-  
tum agnoscat. Antuerpiæ, idibus  
Augusti. C I C. I C C. X I I.

*Reuer. Amplitudinis Vestræ*

*studiosissimus*

A V B. MIRAEV S.



SCRI